Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 647
Quelle:
Copyright:

L. III. C. VIII. ubi Editores *Parisini* T. I. p. 205. 1748. 4. legunt et tuentur *Clinicorum*, rectius noster *Cynicorum*; praecedit enim: *Peripateticorum et Stoicorum. Cynicorum* se nonnisi in Editionibus quibusdam reperisse adfirmant illi. C. XVIII. nobis in ea verba terminatur: *Cicerone et Catone seruatis.*

L. IV. C. I. *lin.* 1. desunt verba: *Constantine Imperator.* C. XXX. reliquis Haereticis enumeratis adduntur et *Ariani.*

L. V. C. I. *lin.* 1. adest apostrophe: *constantine imperator*; recentior tamen calamus in margine addidit *maxime.* Sub finem post verba: *ad aniles fabulas contulisset*, non comparet illa Interjectio: *Unde apparet disertissimo* &c. quam *Isaeus* in *Ms. Bon.* se reperisse testatur. C. XI. sub finem recte: *Domitius* (Ulp.) *de Officio Proconsulis libro septimo.* C. XII. sub finem pro *diis suis cariosis* legitur *nariosis*, notaturque recentiore manu in ora: *quia thuris odore tantum coluntur.* C. XVII. sub initium noster quoque rejicit illam περιικοπην: *Volens aliud esse jus — nullum foret.* Rejicit et illam C. XXII. sub initium: *A multis enim non coluntur.*

L. VI. C. I. pro *et conscientia* probabilius noster legit *et scientiam*; sequitur enim: *sine quo nec sciri quidquam potest.* C. IV. pro *ad unius hostis insidias* habet *unius inuisibilis hostis.* C. XXI. contra Parisinam legit: *ab aliquo perito doctore fundati minus credunt.*

L. VII. C. V. his verbis finitur: *apud Deum et cum Deo semper*, praetermissa illa prolixa oratione, quam et Parisina ut minus Catholicam *Lactantio* abjudicat. C. XXVI. definit in haec verba: *et libenter biis qui finxerint credunt.* Abest itaque *Peroratio ad Imperatorem*, quam Parisina post alias ut genuinam recepit. Totius Operis finis: *a domino consequamur.*

Fol. 155. p. 2. *Lactantii firmiani de ira dei ad donatum liber incipit.* Hoc minio. Libri initium: *Animaduerti sæpe donate* &c. C. III. sub finem adest illud: *nocere posse, prodesse non posse.* C. XII. sub initium in textu legitur: *dum diuinitatis intellectus quo differimus a beluis in homine solo reperiatur justitiam qua* &c. In ora vero: *quia diuinitatis sapientia intellectus est quo differimus a belluis. In homine solo reperiri iustitiam qua* &c. C. XVIII. sub initium abest illa περιικοπη: *Sed defertur aliunde tanquam dubium, nec unquam potest esse scelus tam clarum, ut defensioni locus non sit, et ideo potest judex non*, quam Parisina recipit. C. XXI. in fine non male: *ut habeat homo respiciendi sui facultatem*, quae lectio Parisinis editoribus nullibi occurrisse videtur. Ad C. XXII. adduntur haec verba: *Indignatur ergo aduersus peccatores.* C. XXIII. in duo nobis diuiditur, XXIV. ab his verbis incipiente: *Quapropter nemo uaniloquentia philosophorum inductus* &c. Finis Libri: *et nunquam uereamur iratum.*

Fol.